



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LXII. De varia & vera sequela Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

*Mons casti-
tatis.*

*Mons inno-
centie.*
b vide Matt.
7. b. & Tob. 4
c 3. Tim. 3. c

*Mons patien-
tia.*

*Isque perquam
arduus.*

Mons pacis.

d Psal. 75. a

e Matt. 7. b
& Tob. 4.

autem gemina species ipsorum vitiorum. Alia enim sunt quæ nocent nobis, alia quæ proximis. Illa flagitia, ista vocantur facinora: & hæc omnia dicuntur vallis lachrymarum, quia omni fletus fluxio plangenda est vita peccatorum. De valle flagitiorum ascenditur ad montem castitatis triplici continentia, membrorum, sensuum, cogitationum. In prima continentia cohibetur actus, in secunda vitatur aspectus, in tertia refecatur affectus. Item de valle facinorum ascenditur in montem innocentie. Hic erigitur scala: *Quod tibi non vis fieri, alii ne facias* b: & ponitur in ea triplex gradus timoris, vel eius scilicet qui patitur, ne reddat talionem: vel superioris potestatis, ne inferat ultionem: vel interni iudicis, qui reddit unicuique secundum opera sua. Cum autem ad hunc montem ascenderint, iam iusti sunt, & ex fide vivunt: sed necesse est eos secundum Apostolum persecutionem pati.

Itaque confugiendum est de monte innocentie ad montem patientie: & hic quoque erigitur scala triplicis gradus. Primus est Domini passio; secundus Martyrum fortitudo; tertius Præmii magnitudo. Possunt sanè gradus isti dici gradus pudoris; sicut in innocentia fuerunt gradus timoris. Et nota, quod mons iste patientie secundum hos gradus est arduus, spinosus, aridus. Arduus propter difficultatem imitandi passionem Domini. Spinosus propter aculeos tentationum quæ multiplices sunt, damna scilicet rerum, contumelie verborum, cruciatus corporum, in quibus sancti Martyres examinantur. Aridus propter retributionem præmiorum, quæ non in hoc sæculo speratur, sed in futuro. Post hunc montem restat ei alius mons ascendendus, mons scilicet montium: ad quem cum pervenerit, iam in eo Deus requiescit. Unde scriptum est: *Factus est in pace locus eius.* Sed & in hoc monte pacis erigitur scala charitatis, unde Dominus dicit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Volumus siquidem retribui nobis, volumus ignosci, volumus gratis dari.

S E R M O LXII.

De varia & vera sequela Christi.

a Ioan. 12. d

b Ioan. 3. c
c Psal. 72. d

Qui mihi ministrat, me sequatur. Quidam sunt qui non sequuntur Christum, sed fugiunt. Alii non sequuntur, sed præeunt. Nonnulli sequuntur, sed non assequuntur. Alii verò sequuntur, & consequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt, de quibus scriptum est b: *Omnis qui malè agit, odit lucem.* Et Propheta: *Ecce isti qui elongant se à te, peribunt.* Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt. Quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro salute nostra volentem pati Dominum increparet, dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel

Sermones de Diversis.

713

vel usque ad finem non perseverantes de medio itinere revertuntur. Talibus dicit Apostolus ^e: *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Sequuntur & consequuntur, qui viam humilitatis eius devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Huiusmodi verè sequuntur Dominum. *Qui mihi ministrat ^f, me sequatur*, id est, me imitetur. Quo fructu? *Ut ubi sum ego, inquit, ibi sit & minister meus.* Fructus itaque huius imitationis, manio est æternæ beatitudinis.

^e Heb. 12. e

^f Ioan. 12. d

SERMO LXXIII.

De tribus mediis recuperandæ beatitudinis à Christo præscriptis.

Qui vult venire post me, &c.

Qui vult, veniat post me, per me, ad me. Post me, quia veritas sum: per me, quia via sum: ad me, quia vita sum. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me ^a.* Tria proposuit Christus Dei virtus & Dei sapientia, Angelus magni consilii, animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione sui servitus; in toleratione crucis vilitas; in imitatione Christi designatur asperitas: ut quæ per inobedientiam de statu trinitatis felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinitatis miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim à seipsa, à societate Angelorum, à visione Dei, id est, à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiatur ergo consilium, ut abnegando semetipsam, id est, propriam voluntatem, sui libertatem recuperet: tollendo crucem suam, id est, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo, per continentiam bonum recuperet societatem Angelorum: sequendo Christum, id est, eius passionem imitando, recuperet claritatis eius visionem: quia si compatimur ei, & conregnabimus ^b.

^a Luc. 9. d

^b Rom. 8. d

SERMO LXIV.

De pretiosa vita & morte sanctorum.

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius ^a.

Preciosam in conspectu Domini mortem sanctorum eius facit aliquando vita, aliquando causa, aliquando vita simul cum causa. In Confessoribus qui in Domino moriuntur, facit preciosam, vita. In Martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam preciosam, aliquando sola causa aliquando causa pariter & vita. Et illa quidem mors pretiosa est, quam commendat vita: pretiosior vero quam facit causa, preciosissima verò quam prævenit vita simul cum causa.

Porrò tria sunt quæ sanctam faciunt hominis vitam; victus sobrius, actus iustus, sensus pius. *Victus sobrius erit, si continenter, si socialiter, si*

^a Psal. 115. a

Mors sanctorum tripliciter pretiosa

Tria faciunt hominem sanctum

obedi-